



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 32. Collationes Constantinopoli.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

Sæculum VI.  
A.C. 531.

so Imperatoris nomine Narsete Cubiculario Theodosium tanquam prius ordinatum in Possessionem reduxit. Gajanus primum Carthaginem in Exilium missus, deinde in Sardiniam. Quænam postea fata expertus fuerit, nescimus. Theodosius anno uno & Mensibus quatuor. Alexandriae permanfit. Pauci autem cum ipso communicabant, pluribus Gajano inhærentibus.

Imo Gajani Fautores Narsetis milites aggredi ausi sunt; Mulieres quoque e domorum tectis, quidquid præ manibus erat, in subeuntes conjiciebant. Nonnulli utrinque occisi. Tandem Theodosius tot Seditionibus fatigatus Constantinopolim profectus est, & ab Imperatrice honorifice exceptus. Promiserat illa Imperatori, Theodosium Concilium Calcedonense recepturum; cum vero id constanter recusaret, urbe excedere, & in loco sex Milliariis distante quasi in Exilio subsistere jussus est.

§. XXXII.

*Collationes Constantinopoli.*

Interim Justinianus Imperator Sectatores Severi ad unitatem Ecclesiæ reducere cupiens, Constantinopolim accersivit Hypacium Archiepiscopum Ephesium, Joannem Vesinensem, & Innocentium Maroniensem. His junxit tres alios, qui

*Collat. to. 4.  
Conc. p. 17. 3.*

qui jam antea Constantinopoli versabantur, nempe Stephanum Seleuciensem, Antonium Trapezuntinum, & Demetrium Philippensem, qui numero sex ad colloquium congregarentur cum aliis sex Episcopis Severi Sectatoribus, scilicet, Sergio Cyrensi, Thoma Germaniciensi, Philoxeno Dulichio, Petro Theodosiopolitano, Joanne Constantinensi, & Nonno Ceresinensi. Verum quinque solum adfuere Episcopi Catholici, nam Demetrium Philippensem morbus venire prohibuit. Imperator priusquam ad Colloquium convenirent ad se vocatos hortatus est, ut omni mansuetudine & patientia possibili sententias conferrent, & addidit: *nolo ut me presente colloquantur, ne Severi Sectatores nimio pudore onerentur, sed Strategius Patricius intererit.*

Convenerunt itaque in aliqua Palatii Cæsarei Aula. Cum quinque Episcopis Catholicis aderant Eusebius Presbyter & Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ ærario Præfectus, Heraclianus & Laurentius Presbyteri & Epiphaniæ Patriarchæ Cellularii, Hermesigenes, Magnus & Aquilinus Presbyteri æconomi ab Antiochenis delegati, & tandem Leontius a Monachis Jerosolymitanis missus. Postquam omnes confederunt, Strategius Patricius ad Orientales, id est, ad Severianos dixit: *Imperator vos convocavit, non ut*

Sæculum VI. *Auctoritate compelleret, sed affectu pater-*  
A.C. 532. *no moveret, atque dubia vestra super Do-*  
*ctrina Catholica ore Episcoporum istorum*  
*resolverentur. Ergo ea proponite non in*  
*Spiritu contentionis, sed ea lenitate, qua*  
*viros Dignitate sua venerabiles deceat.*

Orientalis dixerunt: *Imperatori Li-*  
*bellum tradidimus, in quo Fidei nostræ*  
*Professio continetur. In eo omnia, qua*  
*nobis offendiculo sunt, exposuimus. Ca-*  
*tholici ore Hypacii Episcopi Ephesini re-*  
*sponderunt: vidimus hunc Libellum. In*  
*eo contra Concilium Calcedonense adversus*  
*Hæresin Eutychis celebratum querelas af-*  
*fertis. Ergo edicite nobis, quid de Euty-*  
*che sentiatis!* Orientales dixerunt: cen-

Collatio  
 Constanti-  
 nopolita-  
 na.

*semus fuisse Hæreticum, imo Hæresiar-*  
*cham. Subjunxit Hypacius: quid vero*  
*sentitis de Dioscoro, & secundo, quod ipse*  
*congregavit, Concilio Ephesino?* Ori-  
 entales dixerunt: *bos viros credimus ortho-*  
*doxos. Reposuit Hypacius: Si Eutychem*  
*damnatis, quomodo recipitis Dioscorum*  
*& Concilium ipsius, quod Eutychem rece-*  
*pit?* Orientales dixerunt: *forte Pœni-*  
*tentem receperunt. Hypacius dixit: si*  
*Pœnitentem receperunt Eutychem, quare*  
*ergo vos ipsum anathematizatis? Cum*  
*turbati ad hæc respondere cunctarentur,*

Sup. lib.  
 XXVII.

S. 40. to. 4. *ipsum Doctrinæ perversæ pœnitentia subie-*  
 Conc. p. 223. *rit, ut antequam acta integra Constanti-*  
 nopolita-

Sæculum VI.  
A.C. 532.

nopolitana contra ipsum perlecta fuissent, ipsum absolverint, Flavianum autem & Eusebium damnaverint. Si Eutyches penitentiam professus fuisset, rogandi erant, & non damnandi. Ab Eutycbe petebatur, ut in Jesu Christo duas Naturas confiteretur. Dioscuro e contra probabatur, quod Eutyches diceret: confiteor, duas habuisse Naturas ante Conjunctionem, sed post Conjunctionem unicam Naturam admitto. Quid jam vobis videtur? Orientales dixerunt: Dioscorus ab Eutycbe petere debebat, ut Jesum Christum Matris sue consubstantialem confiteretur. Si hoc non confitentem tamen absolvit, cæcitatatis error fuit. Hypacius dixit: jam quæ dicta sunt, repetamus! an dicitis, Eutychem fuisse Hæreticum, vel Catholicum? Responderunt: Hæreticum. Ergo, subjunxit, Eusebius ipsum jure accusavit, & Flavianus damnavit. Orientalibus etiam istud fatentibus, addidit Hypacius: ergo necessarium erat aliud universale Concilium, quod in Concilio Dioscuroi perperam acta rescinderet? dixerunt fuisse necessarium. Unde Hypacius intulit; bene ergo factum, quod Concilium Calcedonense convocatum fuisset. Orientales dixerunt: justum erat & necessarium, ut convocaretur, sed superest quæstio decidenda, an etiam hujus Concilii finis fuerit legitimus. Hæc prima die acta sunt.

p. 1765.